Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1833
Quelle:
Copyright:

bus seruetur &c. Adnectitur denique, quae primo, ut videtur, loco poni debebat, *Instructio pro nostro* (Ferdinandi) *fideli dilecto Leonhardo Straussen Consiliario et prefecto nostro in Brisaco eius videlicet negocij quod ipse nomine nostro tractare et expedire debet, apud generosum Joachimum Marchionem Brandenburgensem principem Electorem.* Incipit: *Prefatus noster Consiliarius hinc discedere propinquiore via et tempore quidem primo* &c. Data est: *in ciuitate nostra Vienne. X. Januarij. Anno* 39. Illustrat Fasciculus hic illa, quae ad hoc tempus apud *Sleidanum, Goldastum, Hortlederum, Lunigium* &c. leguntur.

XI. *fol.* 157. *Intellectus Prophetie et uerborum Esaię Prophetę, uaticinantis. Apprehendent septem mulieres virum unum* Septem Mulieres Exegetae nostro septem gratiae Spiritus sancti sunt.

XII. *fol.* 163. Iterum Excerpta Biblica.

XIII. *fol.* 169. Confutatio Epistolae ad *Lutherum Ferdinando* Rom. Regi adfictae hoc Titulo: *Ablainung ainess erdichten Luterischen brieff, durch Johannem Dymophanium beschriben Anno domini* M. D. XXXVIII. Dedicatur Magistratibus quinque Pagorum Catholicorum in Helvetia videlicet: *Lucern, Schweytz, Vri, Vnderwalden vnnd Zug*, et incipit: *Fürneme, Hochgeachten, lieb herrn vnnd guete fründ. Der Hailig sant Peter hat weis gesagt In seiner andern Canonic* &c. Nota est commentitia illa Epistola, quam primus promsisse dicitur *Polycarpus Lyserus* a *Bern. Raupachio*, qui eam latine et germanice exhibet in *mantissa* T. II. *Austriae Evangel.* N. I. ad p. 32. nequaquam tamen ejus γνησιοτητος patronum agit. Eam jam 1538. in vulgus sparsam fuisse docet praesens Confutatio, quae inter alia neque *Ferdinandum* 1537. *Oeniponte* in *Tyroli* fuisse, neque unquam Conscientiae arbitrum ex *Ordine Minorum* habuisse adfirmat, quod utrumque eae Literae mentiebantur. Libellus totus legi meretur, sed finis deficit. Quid, si *Johannes Faber* sub *Johanne Dymophanio* latitat? Epistola ipsa an. 1783. rursus obtrusa rursus conficta ostenditur in T. I. *Freymüth. Betracht.* &c. *Augustae* 1784. 8.

XIV. *fol.* 193. *Johannis Fabri* Iudicium de *Riegeri* cujusdam Libello Zwingliano inscriptum: *Kurze vnnderricht vnnd ablainung vber N. Riegers Zwinglischen Yerrsal.* Ipsius *Fabri* manu passim interpolatum et refectum est, dirigiturque ad *Ferdinandum* Regem, qui *Fabri* sensum expetierat. Damnat vero hic et refellit ea, quae in Libello circa sacram Caenam et cultum Imaginum erronea notaverat.

CCCCLXI.

Codex chartaceus lat. germ. 269
Sec. XVI. Folior. 254. f. continet varia ad Religionis in *Germania*